

LOBECHIUS de patria HAMBURGA: hæc vicissim  
de illo sibi verè maximeq; potuit gratulari.

In urbe hac tam celebri & egregia, anno millesimo  
quingentesimo sexagesimo, (qui obitu istius Germaniæ  
phænicis, & omnis elegantis literaturæ instauratoris,  
PHILIPPI MELANCTHONIS, clarus est,) noster hic  
LOBECHIUS ex parentibus honestissimis, patre qui-  
dem spectatæ pietatis & virtutis viro, ac templi Catha-  
riniani præfecto, in hanc lucem vitalem editus & pro-  
curatus fuit: ut si illud Venuſini poëtæ decantatissimum  
verum est, ut certè est verissimum:

*Fortes creantur fortibus: & bonis*

*Est in iuvenis, est in equis*

*Patrum virtus;*

Lib. 4.

ode. 4.

dubium certè nullum esse possit, quin semina præclaræ in-  
dolis & virtutum Christianarum, à parente pio & religio-  
si muneris præfecto, in defunctum nostrum LOBECHIUM  
promanarint. Verum ut ager etiam optimus, nisi tempe-  
stivè rectèq; excolatur, lolium profert & tribulos: ita natu-  
ra etiam præstantissima, nisi rectè educetur, vel degenerat,  
vel pravis seducta moribus à se ipsa desciscit & declinat.

Infans ergo adhuc LOBECHIUS, à parentibus pijs  
primum Deo, ex cujus larga benedictione filium quoq;  
hunc, ex quatuor natus minimū, sibi datum agnoscebant,  
per baptismi lavacrum redditus, ex filio iræ, filius Dei  
ac hæres vitæ æternæ factus est. Licet autem parentes  
ejus homines laici & illiterati essent, minimè tamen  
præcepti Paulini ignari fuerunt: sed juxta illud DA-  
VIDEM hunc suum, quem ingenio & indole præ-  
clara dotatum videbant, & in quo à teneris jam un-  
guiculis certare animadvertēbant *φιλομαθίαν καὶ φιλο-  
πονίαν*, Virtutes ad frugem eruditam maxime necessarias,

Eph. 6. 4.

B 2

εν ποι-